

minos Magnates, ad quorum bona sese receperant, libere domum reverti permittantur; juxta Constitutiones Anni Millesimi Quingentesimi Quinquagesimi sexti.

§. 1. Similiter et migratio colonorum sit ubique libera; prout et antea fuit: Et serventur hac in re antiquae Constitutiones superinde editae.

*Arcis quoque Petriniae custodiae et defensionis, majori militum copia succurrendum.*

#### Articulus 45.

Arcis quoque Petriniae custodiae et defensionis, ac tam equitum, quam peditum majori numero in eam collocandorum et solvendorum, curam Sua Caesarea Majestas diligentem habere dignetur.

§. 1. Nam ex eo loco conservando, pars magna permansionis Sclavoniae et vicinarum Provinciarum pendet: Et si (quod DEUS avertat) hostes eam recuperarent, actum de illis foret.

§. 2. Qua de re cum Status Sclavoniae Serenissimo Archi-Duci Ferdinando supplicassent; ad Suam Majestatem Caesaream fuerunt rejecti: Quae ejus rei, dignetur clementer memor esse \*).

*Damna per exterorum Capitaneorum milites miserae plebi illata; quomodo cognosci et refundi debeant?*

#### Articulus 46.

De damnis per milites sub Capitaneatu Dominorum Hannibalis a Rottenau, Skriniczky, Krok et Eggenbergh in Sclavonia existentium et aliorum Capitaneorum exterorum, miserae plebi et aliis illatis, ubi sua Serenitas syngraphas eorum produci debere censet, ut sic de solutione, quoad fieri potest, provideatur; sciat sua Serenitas nullas datas esse syngraphas: Sed passim in Comitatibus ubique inquisitiones sunt factae Anno praeterito.

§. 1. Supplicanti itaque Status Suae Majestati, dignetur damna ipsa ex inquisitione peracta cognoscere: Et vel colonis damnificatis, restitui, vel defalcatis damnis ex eorum stipendio; hujusmodi stipendia ad aedificationem confinium, aut alias Suae Majestatis necessitates converti facere.

### RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM VIII. ANNI 1597.

*Sclavoniae Regnum loco equitum pedites conducat et interteneat.*

#### Articulus 8.

Quantum attinet ad Regnum Sclavoniae; quia Confinia Colapina pro custodia vadorum magis peditibus indigent quam equitibus; ideo Sclavonia loco equitum pedites intertenere et conducere debet.

\*) Huc pertinet, An. 1597. art. 16.